

OYPANOMAXIA,

HOC EST,

ASTROLOGORVM

LV DVS,

*Ad bonarum artium, & Astrologia in primis studioforum  
relaxationem comparatus, nunc primum illu-  
stratus, ac in lucem aditus, per*

GVILIELMVM FVLCONEM  
CANTABRIGIENSEM.

Abacus & Calculi vaneunt apud Guilielmum Io-  
nes, in longa officina, ad Occidentalem  
Paulini templi portam.

LONDINI

Per Thomam Eastum & Henricum Middeltonm,  
impensis Guilielmi Iones.

1571



# HONORATISSIMO VIRO

DOMINO GVILIELMO CECILIO,

EQVITI AVRATO, BARONI BVRGHLEIO,

Reginæ Maiestati à Consiliis & Secretis,  
& Academia Cantabrigiensis Cancellario dignissimo, Patrono suo  
& Doctorum omnium  
singulari.



**I**NTER cetera, præclara quidem illa, dignitatis tuæ ornamenta, (Nobilissime Cecili) quæ tibi vel per Naturæ bonitatem, vel tuam industriam, vel Principis erga te favorem, DEI benignitas contulit, non postremo loco habendum iudico, quod te Docti omnes suum Patronum, Academia Cantabrigiensis etiam amplissimum Cancellarium, libentissime agnoscat. Hunc enim honorem: non solum cum sapientissimis & potentissimis Græcorum & Romanorum Principibus, sed cum sanctissimis etiam ac doctissimis Hebræorum Prophetis communem obrigisse, tibi gratulari, nobis merito gaudere possumus. Præsuit enim Naiothensi Academia nobilissimus Princeps, Sacerdos, & propheta Samuel: Elias & Elizeus, omnium celeberrimi, Hierichuntinam & Bethelensem rexerunt. Taceo Esaïam, regio genere Nobilem, qui in eodem clarissimo munere Elizeo successisse dicitur. Quod illis quidem sæculis adeo solemne fuit, ut vulgo etiam, pietatis & bonarum artium studiosi, prophetarum, quos tanquam patres coluerunt, filij & haberentur & dicerentur. Et licet nostri temporis consuetudo vocabula immutauerit, patrj tamen iuris rationem in administratione rei-publicæ Academicæ retinuit. Quo fieri arbitror, ut haud aliter ac liberi, non tantum res serias, & magni momenti negotia, sed pueriles etiam lusus in conspectum parentum producere

A .ii.

ducere audent : ita *Academiae* alumni suas etiam nugas tuae prudentiae commendare interdum non vereantur. Nec mihi sane iniquum videtur, si eidem & citiorum & negotiorum rationem reddimus. Quae quidem sententia nunc tandem apud me videtur, ut *Ouranomachiam* nostram (maximas sane nugas, & meros lusus) quam in quintum iam annum, licet a multis efflagitram, pertinaciter pressimus, tuo praeclarissimo nomini inscribere non subescam. In qua si quid gravissimo tuo iudicio dignum, quod in manus studiosorum hominum veniat, praestiterim, in *Geometria* quoque si quid possum simile ludere, aliquando experiar. Interim vero *Ouranomachiam* tuo vnius iudicio permitto, quam siue tibi propriam, siue omnibus communem fieri velis, pro tua auctoritate statues.

Dominus IESVS D. T. Ecclesiae & Reipublicae diu seruet incolumem.

Honori tuo deuotissimus  
Gulielmus Fulco.

# O Y P A N O M A X I A, SIVE ASTROLOGORVM L V D V S.



**Y P A N O M A X I A** est caelestium corporum motu & virtute dissidentium pugna, ad ingenij artisque exercitationem composita, necnon ad animi & studiorum relaxationem excogitata. In quo mihi praeclare de Mathematicis scientiis earumque studiosis meriti esse videntur, qui & tadio & iacturae temporis eadem opera consulentes, insignes istas artes, quarum & incredibilis est voluptas, & summa utilitas, à laborum & vigiliarum molestiis vindicantes, in ludum iocumque commutarunt. Vnde qui primus *Rythmomachiam* composuit, fuit is *Pythagoras*, siue alius quispiam fuerit, qui parium & imparium numerorum ceteras inter se comiserit, non imparem cuiusquam laudibus gloriam, nec suis virtutibus parem, meo iudicio, consequutus esse videtur. Huius exemplo quid fieri possit edoctus nescio quis alius, (certe hominem esse oportuit & ingenio & doctrina, ut illa ferebant tempora, non mediocriter excultum) quod in *Arithmetica* prius vidit, idem in *Astrologia* experiri voluit. Cuius si integra & non mutilatae lucubrationes, imò si non praecipua parte truncatae ad manus nostras peruenissent, multò forsan illustriorem iucundiorumque *Ouranomachiam* tradere potuissimus. Interim quantum ingenij nostri tenuitate assequimur, ignoti istius hominis, qui primus faciem praetulit, vestigiis insistentes, sic ingrediemur, ut quaecunque iter monstrat ipse, ab eo sponte aberrare sit religio: quā verò nulla penitus extant, quae sequi possimus, vestigia, quantum coniectura & diuinatione praestare valebimus, ad eundem tamen scopum collimabimus. Quòd si quicquam nobis vel ad laborem fugiendum facilius, vel ad voluptatem conciliandam elegantius, vel ad usum & cognitionem utilius videatur, illud etiam, absque primi inuentoris, aut cuiusque alterius censurae prauiudicio, sic adiciemus, ut liberum Lectoribus faciamus, nudare auctoris inuenta, an nostra potius additamenta sequi velint. Hac enim ratione nec iudicia quamlibet

B .j. morosa

morosa lædi, nec calumniæ quamuis odiosæ adhibita locum relin-  
qui existimauimus. Sic igitur initio statuere oportet, duos esse cæ-  
lestium orbium, præcipue verò inerrantium syderum, globos: non  
vt ille, Solem geminum, & duplices se ostendere Thebas credidit:  
sed duos Planetarum quasi de Imperio mundi decertantium ordines  
fingere debemus, qui varia & multiplici pugna sese diu exercentes,  
eouſque prælium extrahunt, donec sublato alterius exercitus Im-  
peratore, alterius Imperator hostium castris expugnatis, illustrem  
victoriam vnâ cum glorioso triumpho reportauerit. Vniuersum  
hoc negocium nouem capitibus se distinxisse fatetur hic quisquis  
est quem sequimur: sed ea fuit superioris sæculi incuria, vt vix  
quinque integra ad nos pernenerint, sextam caput dimidia parte  
truncatum sit, tria verò vltima penitus desiderabantur, nisi forsitan  
author repentina morte præoccupatus, quod proposuerit, nunquam  
absoluerit. Instituitur autem primum caput de Campo, siue Area,  
in qua ordinari exercitus & pugnare possint. Secundum, de mili-  
tibus & instruendo exercitu. Tertium, de incessu, qui cuiuslibet præ-  
liantium conueniat. Quartum, quo ordine progrediantur ostendit.  
Quantum, quæ ad interceptionem & prædationem requirantur.  
Sextum, quo modo deprædentur ac capiantur hostes. De tribus  
reliquis quid statuerit, cum nullo modo nobis constet, nihil aliud  
quam diuinare possumus. Septimum nimirum de victoria, octa-  
uum de triumpho institui debere. Vltimum verò caput, tabulam  
dignitatum, quam in quinto pollicetur, ad faciendam operis sese ad-  
iecturum fuisse arbitror.


Capit.

Caput primum, de Campo,  
siue Area.



**R**O Campo abacum parabis in duas regiones diuisam,  
quarum quælibet inter centum sexaginta spatia vel sta-  
tiones partieris: tot sunt enim in Zodiaco gradus. Facies  
itaque duos Zodiacos, vtrique exercitui suum. Sed quo-  
niam duplici forma Abaci constituuntur, vtramque docere conue-  
nit. Prior est Circularis, naturæ congruentior: altera est Quadrata,  
ad vsum multò commodior. Si Circularis forma placet, quo-  
niam perfectior est, & cælestes sphaeras melius exprimit, insuper  
& quorumlibet Planetarum aspectus, quorum in hoc ludo præci-  
pius est vsus, facilius oculis subijcit, ad hunc modum eam describes:  
In superficie lata & plana Circulum constitues, cuius diameter  
trium quatuorve pedum longitudinem contineat. Hunc primò  
in duodecim signa distribues, vnumquodque deinceps signum in  
triginta gradus, vt mos est Astrologis, diuides. In signis scribes no-  
mina vel Characteres signorum, sic vt initium sumatur ab Ariete,  
progressus autem versus sinistram fiat. Hic igitur Circulus alterius  
exercitus Campus erit. Deinde intra istius Circuli ambitum de-  
scribes alium minorem, quem item vt superiorem in signa & gra-  
dus, adscriptis etiam signorum vel nominibus vel Characteribus,  
partieris: progredieris autem in hoc Circulo versus dexteram.  
Pæro ita loca distribues, vt Aries Arieti, Taurus Tauro, & re-  
liqua deinceps ordine signa sese mutuò ex diametro respiciant, ad  
eum quem vides in proximè sequenti pagella modum.

B. ij.



Quod si quis certam aliquam & determinatam Circuli magnitudinem requirat, ne aut immensum spatium occupet, aut si angustior fiat, tam numerosam diuisionem non patiat, hanc illi mensuram præscripserim. Diametrum ad tres pedes & dimidium vnus longam faciat, & cum ratio dimetientis ad peripherian sit tripla sesquiseptima, Circulus erit vndecim pedum. Diuisa igitur in duodecim partes circumferentia, vnique parti vndecim pollices, siue digitos, iuxta pedis Britannici longitudinem, attribuet: & vnique gradui tertiam digiti partem, cum tricesimæ partis vnus digiti accessione adscribet. Deinde protracta ad pollicis dimidium semidiametro, extra hunc Circulum, alium maiorem huic concentricum describat, eumque similiter diuidat, nisi quod paulò maiores, vt est maior ambitus, partes esse conuenit.

Sin autem nimia Circuli magnitudo displicet, & vacuum illud inane, quod est intra Circulos, æquis oculis spectare nequeas, vtere forma Quadrangulâ. Ea erit tabulæ, cuius vsus est in Rythmomachia, non ablimilis, nisi quod in spatiorum numero non conueniat. Continet enim septingenta & viginti spatia, duplicem nimirum Zodiacum, in bis, ter centum sexaginta quadra reductum. Vterque Zodiacus, triginta gradus in longitudine, duodecim habebit in latitudine. Ad longiora latera numerum graduum, ad breuora, signorum nomina, vel (quod magis probo) Characteres adscribes, lic vt ab vtraque parte ordo seruetur à sinistra versus dextram, vt ex sequenti figura facile deprehendes. Quod si coloribus etiam hostiles regiones distinxeris, faciet hoc ad aliquem ornatum, vsu vero exiguum, & prope nullum.


B. iij.

Служба безопасности


*Caput secundum, de Militibus &  
insituendo exercitu.*



Es scriptis igitur iuxta quam malueris formam vtriusque Zodiaci regionibus, proximum est vt intelligas, quo Imperatore, quibus Ducibus, quibusque Militibus tam atrox bellum geri conueniat. Debes igitur cognoscere, bis septem Planetas vtrique exercitui pro Ducibus & Militibus sufficere. Parabis itaque septem hemisphaeria, quocunque colore insignia: septem item alia, sed colore diuersa. His inscribes nomina, vel (quod mihi elegantius videtur) Characteres septem Planetarum, sic vt inter reliquos emineat Sol, proximum locum obtineat Luna, deinde Saturnus, Iupiter, Mars, Venus, Mercurius, suo ordine sequatur. Sol enim, qui omnia radiis suis illustrat, calore fouet, & arcana virtute vegetat, merito Imperatoris locum vindicare potest, Luna, quæ humoribus præest, & furentis Oceani fluxus & refluxus quasi habenis quibusdam moderatur, & nocturnas tremulo lumine tenebras fugat, Regina Syderum & Augusta non iniuria appellari potest. Saturnus & Iupiter, maximi & potentissimi Planetæ, in Consulium loca succedent, Mars insuper, qui belli & irarum dominus omnibus sæculis est habitus, Præfectus Prætorio, vel Militiæ Princeps habeatur. Qui restant, Venus & Mercurius, promiscuum vulgus vtriusque sexus referant. Quod si expressam harum omnium formam pictura requiris, en morem gerimus voluntati tuæ.



Nunc si cui simplex ista hemisphaeræ iorum figura non satisfacit, docebo quæ mihi vt elegantissima, ita appositissima calculorum forma arripserit. Omnium planetarum corpora basibus & columnulis innitantur, quales sunt in calculis Scaccorum. Ipsa verò planetarum corpora super columnulas sint sphaerica, sic enim aptissime referent ea quorum sunt imagines. Supra autem ipsos globos sint figuræ, quales nostris oculis syderum esse videntur. Supra Solis globum sit illa figura quam Semilunulam vocant, quæ & Character est Lunæ, sicut prior illa Solis. Supra reliquorum planetarum orbes, Asteriscos constituas. Cumque ad hanc formam omnes planetas geminos fabricaueris, vt internosci possint hostiles turmæ, bases tantum & columnas diuersis coloribus depinges. Vt autem planetas à se inuicem distinguas, vnumquemque proprio colore vesties: nisi quod quinque inerrantium asteriscos omnes oportet esse argenteos. Soli itaque totum auro induces, Lunam argento, Saturno liuidum, Ioui purpureum, Marti igneum, Veneri viridem, Mercurio varium & omnium istorum maculis aspersum colorem indues. Quod si obscurior hæc formarum descriptio, quam oratione complexi sumus, videatur, non grauabimur picturis etiam has exprimere.



Restat iam, vt quo ordine instruat<sup>r</sup> exercitus, qui cuique bel-  
lantium situs aut statio conueniat, aperiamus.

Solem, id est, Imperatorem vnus exercitus, collocabis in decimo  
sexto gradu Leonis: Lunam Augustam, in decimo octauo gradu  
Cancrī: Saturnum Consulē, in vicesimo gradu Capricorni, retro-  
gradum: Iouem, alterum ex Consulibus, in vicesimo quarto gradu  
Sagittarij, directum: Martem bellicosum, in vicesimo sexto gradu  
Arietis, directum: Mercurium, varij & inconstantis vulgi personam  
sustinentem, in quarto gradu Virginis, directum: Venerem, inbel-  
lem populi turbam referentem, in tertio gradu Libræ, retrogradam.  
Eodem modo in altero Zodiaco alterius exercitus duces militesque  
constitues. Habet itaque vnusquisque Planeta stationem primam  
in proprio domicilio: postea, vt vsus exigit, in alias quorumcunque  
signorum stationes sese transfert. Et de instruendo exercitu hæte-  
nus.

*Caput tertium, de motu, vel incessu,  
qui praeliantibus conuenit.*

**N** VNC quoniam non est simplex cælestium corpo-  
rum motus, omnia verò in hac palæstra ad cælestium  
motuum imaginem, quoad eius fieri potuit, confor-  
mantur: admonendus es, non esse vnum & eundem  
omnium militum incessum, sed pro cuiusque natura,  
varium & multiplicem. Qualis autem cuique conueniat, quàm po-  
tero apertissime breuissimeque expediam.

**S**olis vnicus est & simplicissimus motus: nam cum epicyclo ca-  
reat, incedit semper per vnum tantum gradum, sine vllò re-  
gressu iuxta signorum ordinem progrediens: vt à decimo sexto  
Leonis, ad decimum septimum eiusdem signi procedit: à tricesimo  
Leonis, ad primum Virginis procedit. Hic est eius diurnus motus in  
cælo. Incedit autem liberè quando & quoties libitum est illi, neque  
ab vllò aliorum Planetarum coercetur hæc libertas. Dominus enim  
est

est & Imperator, aliis mouendi leges præscribens, ipse verò nullius  
imperio subiacet.

**E** Adem incedendi libertate gaudet Phoebe Augusta, nec enim  
Solis, multò minus aliorum Planetarum arbitrio mouetur, aut  
quiescit. Non tamen æquali spatio semper procedit: nam à  
prima statione per duodecim gradus ad secundam transit, à secunda  
ad tertiam per tredecim gradus, à tertia ad quartam per quatuordecim  
gradus, à quarta ad quintam per quindecim gradus, à quinta ad sextam  
per quindecim item gradus, à sexta ad septimam per quatuordecim  
gradus, à septima vsque ad octauam per tredecim gradus, ab octaua vsque  
ad nonam per duodecim gradus, à nona vsque ad decimam per tre-  
decim gradus: eundem augendi & minuendi ordinem deinceps per-  
petuò seruando, sic vt nō liceat ei bis per tredecim aut quatuordecim  
gradus moueri, neque vltra bis per duodecim & quindecim. Ipsa verò  
Luna, licet in paruo circulo moueatur, propter celeritatem motus, nō  
dicitur directa aut retrograda, sed velox & tarda: quare nec in hoc lu-  
do habet regressum, aut vllam tarditatis rationē, quæ leuior est quàm  
vt in tam exiguis spatiis obseruari potuit. Incedit igitur semper iuxta  
signorum ordinē. Exempli gratia: A .18. Cancrī ad .30. eiusdem signi  
gradum, à .30. Cancrī ad .13. Leonis, inde ad .27. Leonis, ab eo loco ad  
12. Virginis, inde ad .27. Virginis, inde ad .11. Libræ, inde ad .24. Libræ,  
inde ad .6. Scorpij, inde ad .18. Scorpij, inde ad .1. Sagittarij. &c. dein-  
ceps. Hic verò inæqualis incessus, quamuis non sit Lunæ motus diur-  
nus, ad exactissimum calculum reductus, proximè tamen ad eum ac-  
cedit. Septem enim & viginti diebus, cum aliqua horarum accessione,  
percurrit Zodiacum in cælo: hic autem per viginti septem stationes,  
modo ordo seruatur, obibit gradus .363. quod ex supputatione .27.  
stationum facile depræhendes.

|    |    |    |    |    |    |    |
|----|----|----|----|----|----|----|
| 12 | 15 | 12 | 15 | 12 | 15 | 12 |
| 13 | 14 | 13 | 14 | 13 | 14 | 13 |
| 14 | 13 | 14 | 13 | 14 | 13 | 14 |
| 15 | 12 | 15 | 12 | 15 | 12 |    |

C .ij.

Quod



Quòd si hæc augendi minuendique ratio non facile memoria herere videbitur, poteris eodem ordine semper procedere, ad hunc modum:

12 12 12 12 12 12 12  
13 13 13 13 13 13 13  
14 14 14 14 14 14 14  
15 15 15 15 15 15 15

Nam idem numerus. 363. ex viginti septem saltibus redibit. Quoniam verò hæc supputatio Lunæ cursum sex aut septem gradibus superat, cum illa viginti septem diebus paulò plus minus tercentum quinquaginta sex gradus conficiat; si facilius & exactius ad eius cursum alludere velis, Lunam per tredecim gradus quatuor vicibus, quarta vice per quatuordecim transferas, & per viginti septem stationes tercentum quinquaginta sex gradus transilieris. Huius ingressus ordo talis est:

13 13 13 13 13 13  
13 13 13 13 13 13  
13 13 13 13 13  
13 13 13 13 13  
14 14 14 14 14

Et de Augustæ ingressu hætenus.

**S**aturnus & Iupiter eodem motu incedunt ambo. Siue enim procedant, siue retrocedant, non ultra dimidij gradus spatium transmittunt. Ut autem intelligas, quando Consulibus progrediendum sit, quando verò retrocedendum, sciendum est, obseruare eos Imperatoris sui ingressum, à cuius præsentia ultra præscriptas illis metas progredi aut regredi non liceat. Saturnus itaque procedit iuxta signorum ordinem, quoadiu à Sole Augusto ultra. 110. gradus, hoc est, tria signa & viginti gradus, vel à fronte, vel à tergo non

non distiterit. Quòd si longius abire Imperatorem à Saturno contigerit, reflectetur Saturnus contra signorum ordinem, donec Soli propior factus, rursus (ad præscriptos tamen limites) in præcedentia ferri possit. Ioui autem paulò laxiores limites sunt præfixi: nam progredietur vsque dum a Sole, siue antè, siue retrò, pen. 120. gradus, id est, per quatuor integra signa, distabit. Cum verò per Solis Imperatoris sui ingressum (nec enim ipsi positas metas transilire fas est) ad spatium, vel ultra, quatuor signorum, distans fuerit, procedere nullo modo potest: retroire verò, si velit, per dimidium gradus permittitur.

**M**Artis non eadem penitus est ratio: nam, ut strenuum militæ ducem decet, in progrediendo celerior, in refugiendo tardior reperitur. Quoties enim iuxta signorum ordinem quasi in prælium proficiscitur, per integrum gradum incedit. Quòd si retroire & tanquam receptui canere aliquando cogatur, per dimidium tantum gradus retrocedit. Cogitur autem retrocedere, quoties ultra. 130. graduum, hoc est, quatuor signorum & decem graduum à Sole, spatium ei intercesserit. Atque hunc ordinem perpetuò seruat, ut directus per integrum, retrogradus per dimidium gradum moueatur.

**V**enus & Mercurius, mobilis & inconstantis vulgi mores quasi ad viuum exprimentes, vario & multiplici motu gaudent. Habent enim vnum motum cum Sole, cui famulantur, communem. Quoties enim Sol incedit, toties & Venus & Mercurius eum, quasi honoris gratia, æquali ingressu, hoc est, per vnum gradum, comitantur. Estque primus hic Veneris & Mercurij motus semper in præcedentia, directus. Sed habent ambo duos alios motus, alterum progressus, alterum verò regressus. Progreditur Venus iuxta signorum ordinem per dimidium gradum, retrocurrit autem per gradum & dimidium: sed ultra quadraginta septem gradus à Sole distare non potest: intra has vtrinque metas procedit: cum ad metas peruenerit, necessario recurrit. Nam cum semper vnà cum Sole æquis passibus incedit, ultra hos limites nullo modo expatiari potest. Triplici

C .iiij.

igitur

igitur motu incedit Venus : primo ei cum Sole & Mercurio communi, qui est per vnum gradum : secundo sibi proprio, cum intra metas per vnus gradus dimidium progreditur: tertio, cum à meta ad carceres per gradum & dimidium recurrit.

**N**ON paucioribus Mercurius gaudet incessibus. Nam cum Sole, quemadmodum & Venus, per vnum gradum mouetur, quotiescunque Imperator castra mouet, aut stationem mutat. Deinde intra præfixos sibi terminos progreditur velociori motu quam Venus: illa enim per dimidium, hic verò per integrum gradum procedit. Refugit etiam celerius, per duos enim gradus, contra signorum ordinem, ad vltimam vsque metam recurrit. Sunt autem Mercurio positi termini à Sole vtrinque viginti septem gradus. Inter hos sese semper continet. Cumque viginti septem gradibus Solem præcesserit, retrocedit eousque dum Sol ipsum viginti septem gradibus à tergo reliquerit. Dein rursus in præcedentia fertur. Atque hæc de Planetarum incessibus sufficiunt. Referunt enim hi, quantum fieri potuit, diurnos eorum in cælo motus. Quòd si causeris, tardiores esse Saturni & Iouis motum: respondebimus, non potuisse commodè fieri in ludo, vt minus quam per dimidium gradum mouerentur. Martis incessus magis accedit ad cælestis illius motum: nam maximus eius motus retrogradus, maximus etiam motus directus, faciunt gradum vnum & vnus dimidium ferè. Deputatur autem ei in hoc ludo gradus vnus ad procedendum, dimidium verò gradus ad recurrendum. Mercurij & Veneris incessus simili ratione alludit ad motum eorum Planetarum in cælo: nec si omnia reputer, quicquam magis affine excogitare poteris. Nam, quod à nonnullis forsitan afferri poterit, moueri Planetas circa stationes tardissimè, atque hoc totum à nobis prætermisum: id quidem libenter agnoscimus, sed in ludo exprimi vix posse credimus. Interim si quis aliquid concinnius proferre queat, ingenium eius cum industria, nec iniuria, admirabimur.

CAPUT

*Caput quartum, quo ordine sit incedendum Bellatoribus.*



**S**OLIS Augusti, vt non semel antè attigimus, liberimus est incessus: nam pro arbitrio ludentis moueri potest, in præcedentia modo per vnum gradum incedat. Similiter & Luna, quoties libet, non expectato alicuius alterius Planetæ motu, semper progreditur. Venus & Mercurius ad Solis motum mouentur perpetuò. Et cum propriis motibus feruntur, ad extremos vsque terminos progrediuntur, & rursus ad priora vsque initia recurrunt. Nec recurrere priusquam ad metam peruenerint, nec progredi antequàm ad carceres reducti fuerint, illis aliquando licet. Saturni, Iouis, & Martis, diuersa est ratio à reliquis. Neque enim liberè, vt Sol & Luna, progredi possunt: nec cum Venere & Mercurio, ad extremos vtrinque fines procedere aut recedere necessariò coguntur. Nam quòd ad regressum attinet, si extra præscriptos limites per Solis motum eis consistere contingat, necesse est vt recurrant eousque dum intra proposita sibi spatia constituti fuerint: eò cum peruenerint, non opus est vt ad alteros à sinistra fines retrahantur, sed tantum quousque ludenti commodum videbitur, ad decem, viginti, vel triginta gradus, plus minusve. Verum, cum progredi velint, hoc illis diligenter tenendum est, vt Solis Imperatoris sui cursum sedulo obseruent. Nam Saturnus & Iupiter quiescente Sole duodecies tantum moueri possunt in directum, deinde aut quiescere, aut retrocedere debent, donec Sol etiam ipse aliquoties progressus fuerit: nam pro vnoquoque Solis progressu, semel illis vltra procedere licet. Non debet igitur è memoria excidere, quoties alteruter horum, quoties item Sol progressus fuerit: vt si Saturnus, aut Iupiter, ter, quater, quinquies, &c. progressus fuerit, deinde Sol etiam aliquoties processerit, Saturno aut Ioui tot progressiones restituantur, quot Sol promouendo fecerit. Verbi gratia: Saturnus ter progressus est, iam nouem stationes restant: interim Sol ter processit, nunc iterum Saturnus quasi in integrum restitutus

restitutis viribus, ad duodecim progrediendi vices idoneus redditur. Rursus Iupiter quinquies processit, residuæ sunt ei septem vices: at si Sol bis interim promoueatur, perinde quasi ter tantum progressus esset, restitutis duabus, nouem Ioui stationes remanent. Sed cum difficile sit, tam varios & incertos progressionum numeros retinere in memoria, vt hoc onere mentem releues, pro tribus his Planetis habebis cuiuscunque formæ volueris triginta sex calculos, pro vnoquoque duodecim, diuersi coloris, vt internoſci possint cuius fuerint signa: sint Saturni nigra, Iouis purpurea, Martis rubra. Quoties igitur aliquem ex his Planetis in directum promoueris, vnum ex eius calculis alicubi depones: si duodecim deposueris, progredi ulterius nefas esto. Interea quoties Solem propuleris, toties vnum ex Saturni, vnum etiam ex Iouis calculis tolles. Sed & Marti etiam, quauis bellicoso, præscribuntur leges: intelligendum est enim, Martem non debere plus quam sexies, quiescente Sole, progredi, & duas Solis vices, vnam tantum Marti restituere in integrum. Quoties itaque Martem promoueris, duo ex rubris calculis deponendi sunt: si igitur duodecim depositi sunt, sexies, id est, ad extremum promouisti Martem. Quoties verò Sol processerit, vnum tantum ex depositis rubris signis tolles: ita duo progressus Solis, vnum tantummodò Martis faciunt. Ad hos autem numeros restringuntur Planetarum cursus, vt retrogradiendi illis maior necessitas imponatur: calculi verò, ad tædium & memoriæ lapsum vitandum, excogitati sunt. Quanquam, si cui difficilius videatur hæc ratio, quam vt faciliè teneri queat, poterit eam, si velit, negligere, modò terminos tertio Capite Planetis præfixos, non transgrediatur. Quibus obseruatis, regressus, licet non tam frequentes, errantibus istis, syderibus contingent. Nam Saturnus cum ad tria signa & viginti gradus a Sole distiterit, necessariò recurrit. Idem fit de reliquis, nam cum ad suos terminos suo motu peruenerint, vel ultra eosdem per Solis motum constituti fuerint, regressum vitare non possunt. Sed vt ingenuè fatear, multo melior & elegantior est illa ratio, quæ speciem aliquam eius obseruantia, quam illi Planetæ Soli Regi suo exhibere depræhenduntur, clarius exprimit. Sic enim Saturnus, Iupiter, & Mars, perpetua & constanti lege in suis epicyclis circumferuntur, & eorum motus cum accessu &

recessu

recessu Solis aptissime coherere iudicentur, cumque quasi Dominum ac Imperatorem summa obseruantia colere ac venerari videantur. Etsi verò perpetua illa & pulcherrima cælestium motuum harmonia, omnibus numeris absoluta, præsertim in re ludicra, referri nequeat, quò tamen propius quicquam ad illam accedit, eò magis amplectendum videtur. Has igitur tribus superioribus capitibus præscriptas leges, quanquam difficiliore, meo suffragio approbo.

*Caput quintum, de his quæ ad interceptionem*

*& deprædationem requiruntur.*



**N**UNC locus postulat, vt quibus ad interceptiones & deprædationes hostium viis, instrumentis, machinisve vt conueniat, simili compendio perstringamus. Est igitur in primis memoria tenendum, nullam nisi prælio cõmissio sperandam esse victoriam, siue maiorem, cum captius hostis abducitur: siue minorem, cum præcipuis ornamentis spoliatus, inermis & ad manus conferendum ineptior efficitur. Tum verò prælium committi dicitur, cum sese Planetæ mutuò respiciunt. Hoc fit (vt docent Astrologi) modis octo. Aspectu sextili dextro & sinistro, cum per sextam Zodiaci partem, hoc est, duo signa integra, Planetæ a sese inuicem distiterint, vel quod idem prorsus est, per sexaginta gradus: vt si Saturnus in primo gradu Arietis, Iouem in primo Geminorum sextili aspectu respiciat, eoque dextro: vel si à sinistra respiciat Martem in primo Aquarii puncto. Sunt alij duo aspectus, qui quadrati appellantur, dexter similiter & sinister. Hic autem respectus est interstitium quartæ partis signiferi, id est, trium signorum, vel nonaginta graduum. Vt si Sol in primo Cancri puncto ante se videat Mercurium in primo Libræ constitutum, à tergo verò Venerem primum arietis gradum occupantem. Adhæc duo sunt aspectus qui trini &

D .j.

triangu-

triangulares vocantur, eò quòd comprehendunt spatium tertiæ partis Zodiaci, à dextra vel sinistra. Quatuor verò signa, vel centum & viginti gradus, quartam signiferi partem constituunt. Quemadmodum si Luna in primo Scorpionis aspiciat Saturnum in primo Piscium ante se, vel post se Solem in primo Cancrì. Superfunt Oppositio & Coniunctio, quæ octauum numerum complent. Opponuntur Planetæ cum ex diametro inter se distant per dimidium Zodiaci, hoc est, sex signa, vel gradus centum & octoginta. Vt si Iupiter in primo sit arietis, Venus in primo Libræ. Coniunctio verò improprie dicitur aspectus, cum non spatium aliquod, sed duorum Planetarum in eodem signo coitionem significat: vt si Mars cum Mercurio in ariete aut tauro, aut alio quouis signo, concurrat. Quoties igitur aliquo horum modorum se respiciunt planetæ, toties prælium committi intelligendum est. Hoc autem operæpretium est tenere, nullum apud nos in hoc ludo aspectum pro legitimo admitti, nisi qui verus sit, hoc est, qui integrum graduum numerum superius descriptum spatio comprehendat: quare si Saturnus in quinto gradu Cancrì steterit, non erit oppositus illi Mars in primo, secundo, tertio, aut quouis alio Capricorni gradu, præterquam in quinto. Quod idem & de aliis aspectibus, tam dextris quam sinistris intelligendum est. Exemplis res erit illustrior: Ponamus Martem in decimo quinto arietis, eius sextilis aspectus dexter est in decimo quinto Geminorum, sinister in decimo quinto aquarij. Sit Luna in vicesimo tauri, quadrangulus eius aspectus dexter erit in vicesimo Leonis, sinister verò in vicesimo aquarii. Venerem collocemus in vicesimo septimo gradu Virginis, eius aspectus trinus à dextra erit in vicesimo septimo gradu Capricorni, à sinistra verò in vicesimo septimo gradu tauri. Nec est legitima planetarum in eodem signo coniunctio, nisi sit etiam in eadem signi parte: vt si Saturnus cum Ioue in tertio Sagittarii quasi cominus decertet, aut Luna cum Venere in vicesimo tertio piscium colluctetur. Et hii quidem aspectus corporales dicuntur: nimirum his modis ipsa planetarum corpora sese inuicem respiciunt,

Est

Est alius etiam aspectus, qui vulgò dicitur secundum orbem projectionis radiorum, Ptolomæo & Doctioribus applicatio appellatur. Qui quoniam ad auxiliares copias potius, quam ad præcipua belli instrumenta spectat, non est ante illa nobis exponendus. Est enim tenendum, quædam esse necessaria ad dimicandum instrumenta, quædam verò tantum auxilia: quæ quoties contrahi possunt, non contemnenda habentur.

Arma igitur necessaria, quibus ad concertandum instruuntur planetæ, sunt quæ trito apud Astrologos vocabulo Dignitates appellantur. Aestimantur autem Dignitates iuxta Domos, exaltationes, triplicitates, terminos, & facies. Domui tribuuntur quinque dignitates, exaltationi quatuor, triplicitati tres, termino duæ, faciei vna.

Quicumque igitur planeta in suo domicilio repertus fuerit, quinque dignitatibus ornatur: qui in exaltatione, quatuor: qui in triplicitate, tribus: qui in termino, duabus: qui in facie, vna.

Quòd si eundem planetam simul in domicilio suo esse contingat, & in exaltatione, nouem dignitatibus excellit: nimirum quinque pro domicilio, & quatuor pro exaltatione.

Porro, si non solum in domo & exaltatione, verum etiam in suæ triplicitatis signo constituatur planeta, duodecim dignitatibus pollebit: pro domicilio quinque, pro exaltatione quatuor, pro triplicitate tres. His si addideris pro termino duas, quatuordecim dignitatibus ornatus incedit. Restat vnica dignitas pro facie, sed ea nulli planetarum cum quatuordecim dignitatibus contingit: imò nec quatuordecim dignitates vlli alii planetarum, præterquam Mercurio soli, in primis septem Virginis gradibus decurrenti, vllò modo aut ratione quauis in hoc ludo contingere possunt.

D .ii.

Hoc

Hoc ideo accidit, quia solus Mercurius in vno & eodem signo domicilium, exaltationem, & triplicitatem obtinet. Estque in primis obseruata dignum, dignitates, quæ à domicilio, exaltatione, & triplicitate conferuntur, per integrum signum manere easdem: quæ verò in finibus aut faciebus consistunt, in quibusdam tantummodo signi partibus locum habere. Quoniam verò vtile est prælio certaturis cognoscere & suas & aduersariorum vires, locorum etiam opportunitates perspectas habere: quantis in vnoquoque signo viribus quilibet Planetarum polleat, ex sequenti tabula poteris addiscere.

Sol habet in signo Arietis ad summum dignitates octo.

in Geminis vnam.  
in Leone octo,  
in Virgine vnam.  
in Scorpione vnam.  
in Sagittario tres.  
in Capricorno vnam.

Luna habet dignitates in Tauro octo.

in Cancro sex.  
in Virgine tres.  
in Libra vnam.  
in Sagittario vnam.  
in Capricorno vnam.  
in Aquario vnam.

Saturnus in Ariete obtinere potest non vltra dignitates duas.

in Tauro tres.  
in Geminis quinque.  
in Cancro duas.  
in Leone duas.  
in Virgine duas.  
in Libra nouem.  
in Scorpione duas.

in Sagit-

in Sagittario tres.  
in Capricorno septem.  
in Aquario decem.  
in Piscibus duas.

Iupiter in Ariete ornatur dignitatibus quinque.

in Tauro duabus.  
in Geminis tribus.  
in Cancro sex.  
in Leone quinque.  
in Virgine duabus.  
in Libra tribus  
in Scorpione duabus.  
in Sagittario decem.  
in Capricorno tribus.  
in Aquario duabus.  
in Piscibus nouem.

Mars in Ariete possidet dignitates septem.

in Tauro duas.  
in Geminis tres.  
in Cancro quinque.  
in Leone duas.  
in Virgine duas.  
in Libra duas.  
in Scorpione vndecim.  
in Sagittario duas.  
in Capricorno sex.  
in Aquario duas.  
in Piscibus sex.

Venus in Ariete duas tantum dignitates vendicat.

in Tauro decem.  
in Geminis quinque.  
in Cancro tres.

D .iij.

in Leone

in Leone duas.  
in Virgine tres.  
in Libra septem.  
in Scorpione duas.  
in Sagittario duas.  
in Capricorno quinque.  
in Aquario tres.  
in Piscibus sex.

Mercurius in Ariete non est admodum potens, consequitur enim duas tantummodo dignitates.

in Tauro tres.  
in Geminis septem.  
in Cancro tres.  
in Leone duas.  
in Virgine quatuordecim.  
in Libra quinque.  
in Scorpione duas.  
in Sagittario duas.  
in Capricorno duas.  
in Aquario quinque.  
in Piscibus duas.

Atque hæc tanquam necessaria arma habentur.

Auxilia verò variis modis petuntur. Quædam à personis, quædam verò à locis. A personis petuntur subsidia per applicationem, siue, ut vulgò loquuntur, per aspectum secundum orbem projectionis radiorum. Quoties enim planeta quispiam intra alterius radios recipitur, qui aliquo octo prædictorum modorum aduersarij respiciat, quicquid habet dignitatum aut virium remittit ei intra cuius radios admittitur. Recipiens itaque non aliter spoliatur & capit per dignitates ac vires recepti, quam si essent suæ.

Hic

Hic autem operæpretium est cognoscere, quàm latè quilibet planetarum radios suos diffundat, intra quorum ambitum auxiliares copias admittere possit. Id verò ita se habet:

Sol vtrinque vsque ad septimum & dimidium gradum emittit radios. Luna vtrinque ad gradus sex. Saturnus per quatuor gradus & vnius dimidium. Per idem spatium Iupiter. Mars per quatuor tantum. Venus & Mercurius per tres gradus & dimidium. Applicat igitur qui intra hos gradus recipitur. Quod licet per se satis manifestum sit, non pigebit tamen hoc ipsum vno aut altero exemplo illustrare.

Si fuerit Sol in decimo gradu Leonis, applicat ei Saturnus, si fuerit in primis triginta minutis decimi octauæ gradus eiusdem Leonis, vel propius, puta in decimo sexto, decimo quinto, decimo quarto, decimo tertio, duodecimo, vel vndecimo. Similiter si fuerit in vltimis triginta minutis secundi gradus eiusdem signi, vel propius, nempe in quarto, quinto, sexto, septimo, octauo, aut nono. Vel si Luna sit in vicesimo octauo Virginis, applicat Lunæ Mercurius si fuerit in quarto Libræ, vel propius: aut etiam in vicesimo octauo Virginis à tergo, vel propius. Vel si Iupiter sit in tertio gradu Arietis, applicabit ei Mars, si fuerit in prima parte octauæ gradus eiusdem signi, vel saltem propinquior: similiter si fuerit in posteriore parte vicesimi octauæ gradus Piscium, vel saltem intra illud spatium. Et hæc quidem sunt auxilia quæ à personis contrahuntur.

Duo verò sunt genera eorum quæ à locis comparantur. Aut enim sumuntur à commoditate loci, qua gaudemus ipsi: vel à locorum iniquitate, in quam detruduntur aduersarij.

Opportuni igitur ad rem gerendam loci, sunt ea signa, quibus tanquam propriis domiciliis præcipue gaudere dicuntur planetæ, ideoque Gaudia appellantur. Hæc præter dignitates alia insuper auxilia subministrant.

Hic

His proximi sunt exaltationum gradus: vt enim instructior est Planeta, qui non solum in suo domicilio, tanquam in suis castris, verum etiam in Gaudio constitutus est: ita etiam qui in ipso gradu exaltationis suæ, tanquam in editissimo castrorum loco collocatus est, non contemnenda virium accessione adiuuatur. Tertiò, inter loci opportunitates censentur gradus illi, qui Fortunam augere dicuntur. Sunt & alij gradus, qui Luminosi vel Illustres dici possunt. Sunt & Nebulosi, seu Fumosi, qui luminaribus Soli & Lunæ propitij sunt, reliquis verò infesti. Et gradus cælestes (si Astrologis quibusdam credimus) habent suos sexus, alij enim Masculini, alij Foeminini esse putantur. Qui sunt masculini, commodæ sunt stationes masculinis Planetis, Saturno, Ioui, Marti, Soli, Mercurio. Sed Veneri & Lunæ, vtpote foemineis, foeminini gradus opem ferunt. Ab his igitur locis subsidia petuntur inter pugnandum. Patiuntur verò detrimentum Planetæ in locis iniquioribus: quales sunt gradus illi, in quibus est alicuius Planetæ casus. Secundò, mutilationis gradus, quos Barbara voce Azimene dicunt. Tertiò, & illi gradus, quos à profunda putei obscuritate, Puteales vocant. His accensentur tenebrofi gradus. Gradus etiam masculini infesti sunt foeminis: foeminini verò masculis inter planetas. Quæ autem signa cuiusque planetæ, domus, exaltationes, triplicitates, Gaudia: quæ etiam signorum partes, termini, facies: & qui gradus exaltationis, augentes Fortunam, luminosi, fumosi, tenebrofi, masculini, foeminini, casus planetarum, mutilationis, & puteales: vltimo loco suis tabulis ostendemus. Et hæc sunt quæ ad direptiones & interceptiones requiruntur.

Caput

Caput sextum, de direptione ac  
interceptione hostium.



Enimus iam ad id quod est præcipuum huius instituti caput, nimirum vt doceamus, quomodo paratis armis, & ad nostri defensionem, & aduersariorum incommodum vti possimus. Sed hîc cum exemplar, quod sequuti sumus, plus quàm dimidia sui parte (vt facile est conicere) mancum & mutilum habeatur, in aliquibus diuinare quid voluerit scriptor, in quibusdam verò nouas rationes inuenire cogimur. Hoc itaque primò repetendum est, hostem non spoliari, nedum capi, nisi per aspectum. Aspectus verò duplex est, Corporalis, & Applicatio. Sed & illud æquè obseruandum est, nec diripi, nec capi aduersarium, nisi ab eo qui dignitatibus superat. Sunt autem dignitates aliæ essentielles, vt vocant, aliæ aduentitiæ & auxiliares.

Accidit verò interdum vt spoliatur hostis dignitatibus suis, non autem capitur.

Interdum verò capitur, nec tamen spoliatur.

Nonnunquam prius diripitur, ac deinde etiam capitur.

Diripitur hostis, sed non intercipitur, cum aduersarius eum superat quibusdam tantum dignitatum ornamentis: vt si Mars tribus dignitatibus insignis Saturnum hostiliter respexerit, qui duabus tantum gaudet, iam spoliatur Mars Saturnum vna dignitate, qua eum superat, eritq; Saturnus in posterum vna dignitate priuatus, quocumq; in loco substituerit: nam gaudebit in domicilio quatuor tantum dignitatibus, in exaltatione tribus, in triplicitate duabus, in termino vna, in facie nulla: & si duabus, aut pluribus priuatus fuisset, totidem vbique caruisset. Victor verò deuicti spolia quocumque inceserit, secum feret: nam in suo domicilio fruetur sex dignitatibus, in exaltatione quinque, in triplicitate quatuor, in fine tribus, in facie duabus. Imò quocumque alio loco constiterit, quemadmodum aduersarius.

E .j.

sarius

farius eius mancus, ita & ipse his spoliis ornatus atque armatus manebit. Quod si pluribus quàm vna dignitate aduersarium excelat, totidem spoliis vbique gaudebit. Insuper etsi omnibus dignitatibus, quas in vno loco possidet, quasi omnibus fortunis exutus, priuabitur, non tamen necesse est eum capi. Vt si Saturnus quatuor dignitatibus gaudens, respiciat Martem duabus tantum potentem, quoniam duabus eum superat, duabus eum priuat: sed absque maioribus copiis capere eum nequit.

Capitur hostis non spoliatus, qui nullis dignitatibus munitus, opprimitur ab aduersario, vna tantum aut pluribus instructo. Vt Iupiter in oppositione, aut alio quocunque aspectu, vnā habens dignitatem, vel plures, capit Mercurium nudum, & ad omnes hostium iniurias expositum.

Diripitur & capitur simul aduersarius, cum pauciores dignitates à pluribus vincuntur, & superant etiamnum vires ac dignitates hosti ad capiendum. Vt si Sol septem dignitatibus ornatus respiciat Lunam aduersariam tribus tantum dignitatibus decoratam, quia tres habet dignitates, quibus par est, tres alias, quibus superat, omnibus dignitatibus eam spoliat: & quoniam remanet etiamnum vna dignitas, satis habet ea virum ad opprimendam & capiendam Lunam, omni ornatu ac robore prius destitutam. Et Sol trium dignitatum spoliis auctus, dum in eodem loco manet, decem dignitatibus instructus est: & quocunque recedit, tres bello acquiras tamen secum feret. Sed alio exemplo res clarior euadet.

Colloceamus Mercurium in ipso arcis suæ fastigio, quatuordecim dignitates superbe iactantem: huic ex aduersa parte opponamus Iouem quinque tantum dignitatibus contentum. Per decem spoliatur Iupiter omnibus suis ornamentis: vna verò è reliquis, quæ supersunt Mercurio, sufficeret ad illustriorem victoriam, nempe ad capiendum Iouem. Mercurius autem quinque dignitatibus auctior, vbicunque fuerit, in eo loco, aut simili, nouendecim possidebit. Quod si æquales numero fuerint dignitates cum sese mutuo respiciunt,

ciunt, quia æquo Marte pugnant, neuter victor, neuter superatus è prælio discedet.

Per alterum genus aspectus, qui dicitur Applicatio, spoliantur etiam & capiuntur hostes, quamuis Planeta, qui in aspectu aliquo corporali concreditur cum aduersario, nulla prorsus dignitate sit ornatus, modo qui recipitur intra alterius radios, tot dignitatibus sit munitus, quot ad hostem capiendum, aut saltem diripiendum, sufficiunt. Quemadmodum si fingamus Solem in primo gradu Virginis collocari, vbi vnica tantum dignitate sit insignis: sed in propinquo, hoc est, in tertio vel quarto gradu eiusdem signi, sit Mercurius duodecim dignitates gessans: respiciat verò Sol Martem aliqui sex dignitatibus instructum. Hic licet Sol ipse longè impar sit, vt committatur cum Marte, tamen propter ministri sui auxilia superior euadet, & Martem captiuum auferet. Habet enim in vniuerso tredecim dignitates, ex quibus sex æquant Martem, sex spoliant, vltima capit.

Auxilia verò quæ à locis petuntur, ad hunc modum profunt: Duo adiumenta æqualia sunt vni dignitati: & duo etiam detrimenta vni dignitati detrahunt. Deinde per aduentitias has dignitates non aliter spoliantur & capiuntur hostes, quàm per essentielles. Exempli gratia: Si Mars quatuor dignitatibus clarus, congregiatur cum Saturno, quatuor etiam dignitatibus insigni: & animaduertat Mars Saturnum iniquiore loco duobus simul incommotis vel detrimentis premi: haud aliter eum vna dignitate priuabit, ac si tribus tantum gauderet. Duo enim incommoda vnus dignitatis splendorem obscurant. Rursum, si Luna tribus tantum essentialibus gaudeat dignitatibus, aspiciatque Lunam aduersariam æquali numero armatam, postquam auxilia circumspexit, & duo sibi adiumenta loci commoditatem præstare sentiat, inimicam vno ornamento spoliatam è prælio dimittet. Duo etenim adiumenta pro vna dignitate computantur. Quod si supra binarium numerum sese auxilia ostendant, singula vnus dignitatis loco habentur.

E .ij. Incom-



Incommoda etiam si vltra duo accefferint, pro vnoquoque vna dignitas planetę decedat: vt si Iupiter nulla essentiali dignitate instructus ex loci commoditate tria adiumenta contraxerit, erunt ei loco totidem dignitatum ad capiendum aduersarium, vna licet essentiali dignitate munitum. Sic etiam, si Venus cum Marte hostiliter concurrat, habeatq; Mars quatuor ornamenta, totidem etiam incommoda, capietur à Venere, vel vna tantum dignitate suffulta. In vnico verò adiumento non est tantum momenti, vt per se hostem, vel inermem, id est, omni dignitate vacuum, capiat, nisi etiam iniquiore loco oppressum deprahendat: quod si accadat, ex suo commodo, & aduersarij incōmodo, materiam vincēdi arripiet. Vt si Mercurius vnico adiumento armatus, hostem suum Martē in gradu fœminino, aut alio quouis iniquiore loco laborantem deprahendat, vtetur occasione, & cum vnico suo auxilio, vno incōmodo oppressum captiuum ducet: secus si equo loco pugnaret Mauors: aut si Marte loci iniquitate constricto, Mercurius æquo tantum loco decertaret. Nam vnus tantum incommodi, non maior quàm vnus tantum adiumenti ratio habenda est. Et de capiendi ac diripiendi rationibus ista sufficiant.

*Caput septimum, de Victoria.*

**A**dmonuimus statim in initio huius opusculi, in sex primis Capitibus habuisse nos ducem, cuius vestigiis aliquo modo insistentes, ad prælium vsque deduci potuimus: sed quis esset tam difficilis belli exitus, quæ laus rei bene gestæ, quis triumphus, victoriæ præmium, penitus reticentem. Aggrediar igitur, vt ob spem fœlicioris exitus iucundior sit concertatio, de victoriæ conditionibus, & triumphi apparatu, quali fœcialia quædam iura prodere. Quoniam sæpè leuib; præliis superantur hostes, & tamen resumptis viribus, postliminiò cum aduersariis confligunt: & qui in vno certamine inferiores fuerint, in alio longè superiores euadere poterint: non æquum videtur, in vnus alicuius clade totius populi vires sic consumi, vt victoris iugo colla submittere necesse habeant. Tamen, quia capto aut intercepto Imperatore, cuius auspiciis bellum geritur, hostium spes & animi simul concidunt, id verò magis, si insignem præterea cladem, vt solet fieri, acceperint: statuimus Sole Augusto cum duobus alijs capto, debellatos esse hostes, & victori viam esse partam. Nam deuictio Imperatore, & tanta strage attritis eorum copijs, iam spes nulla manet eorum vires in integrum posse restitui. At Sole nondum intercepto, licet aliis omnibus in captiuitatem reductis, victoriæ palmam adipisci nemo potest.

*Caput Octauum, de Triumpho.*



**N**IL optatius est his, qui laudis ac gloriæ auiditate ad difficillima bella gerenda incitantur, quàm vt victis tandem ac superatis hostibus, eorundem manibus ditati, spoliis ornati, in ipso patriæ dulcissimo gremio, cui æternam nominis dignitatem pepere- runt, speciosos triumphos quàm magnificentissimò apparatu celebrent. Quare cum nō de Veientū aut Fidenatum ciuitatibus oppugnandis agatur, sed de totius orbis imperio potiundo, in hoc ludo inter potentissimos Monarchas bella moueantur: victorem non leuib; aut vulgaribus victoriæ insignibus ac encomijs fulgere, sed maximis & illustrissimis gloriæ ornamentis, si qua illius virtuti paria reperiri possent, supra cælum, & sydera extolli æquum esset. Sed cum nulla illius meritis æqualia præstari à nobis possent, non ægrè feret, si minoribus & infra eius dignitatem longè subsidentibus præmijs adornetur. Sic igitur, si placeat triumphalem pompam instituat.

Præcedant Proceres honoris gratia quotquot ex prælio superstitēs fortuna seruauerit, quisque ordine suo, quisque dignitate quàm  
E.ij. potest

potest maxima conspicuus. Hos aliquo intervallo sequatur Augustus ipse in sua exaltatione, vel saltem in domicilio, tanquam in sella curuli sedens. Huic comes adiungatur Augusta, (si non prius in hostium manus perucnerit) & ipsa suam exaltationem, vel domicilium suum, tanquam currum triumphalem, occupans. Mercurius à tergo Imperatoris vestigia observabit, sic tamen, ut aliqua dignitate emineat. Venus, quasi pedissequa Lunæ, post eam incedet, sic etiam ut incessu dignitatem præ se ferat. Quod si Luna violentas hostium manus non effugerit, quin prædæ exposita in eorum potestatem venerit: Venus officium illud quod alioqui Augustæ debebat, ipsi Imperatori præstabit, & medium locum inter Solem & Mercurium occupabit. Facilius ista intelligentur, si omnis hæc pompa, exemplo proposito, quasi ante oculos ducatur.

Sit Augustus in decimo nono Arietis, qui locus est fastigium exaltationis eius: Saturnus primus eorum qui præcedit, in primo geminorum gradu, suo domicilio: proximus Iupiter, in vicesimo secundo tauri, ubi duabus dignitatibus claret: proxime vero ante Solem Mars in trigesima Arietis parte, quo signo, tanquam proprio domicilio, gaudet. Solem à tergo sequatur Mercurius in decimo tertio gradu, ubi gemina dignitate conspicuus fulget. Luna tauri, tertium thronum exaltationis suæ: Venus primum aut secundum eiusdem signi gradum occupet, nam in illis duplici ornamento fruitur. Absente vero Lunâ, Venerem aliquo ex locis qui sunt inter decimum nonum & decimum tertium, hoc est, inter Solem & Mercurium, contentam esse decet. In quibus licet nulla dignitatis specie sit illustris, non tamen id ferre debet impatienter, quum dominæ suæ calamitatem, quæ ab hostibus intercepta fuit, se lugere aliquo signo, quasi detractis ornamentis, exprimere debeat. Vel si virilis animus in formidino sydere, suæ etiam dignitatis præmia in hoc triumphali ornatu ac splendore efflagitat, necesse est ut aliquid de maxima & clarissima Solis dignitate detrahamus, ut Veneri suus honos tribuatur. Solem igitur ob coniugis suæ infelicem casum, quasi moestitiam aliquam in hac dignitatis suæ diminutione præ se ferentem, ad vicesimum quartum Arietis gradum transferemus. Hac ratione sua

Veneri

Veneri in vicesimo primo gradu dignitas constabit. Si verò currum triumphalem Solis in domicilio eius statuere velimus, collocabimus eum in aliquo Leonis gradu, exempli gratia, in vicesimo quinto. Præcedat Solem dux belli Mauors in tricesimo eiusdem signi. Martem antecedit Iupiter in vicesimo Virginis. Ionem Saturnus in eiusdem signi tricesimo. Sequatur Imperatorem Mercurius in decimo nono Leonis. Lunam verò in vicesimo quinto Cancrì, Venus pedissequa in decimo tertio Cancrì subsequatur. Si verò dominam amiserit prius Venus, quàm ad optatam triumphali celebritatem pervenerit, collocabitur moesta inter Mercurium & Solem, sine ulla dignitatis ostentatione: vel si hoc non placeat, retrahendus est Mercurius ad vicesimum Cancrì, ut Veneri locus sit dignitate aliqua notabilis in septimo vel octavo, &c. Leonis gradu. Deinde & ipse Sol, quoniam à Mercurio non ultra septem & viginti integros gradus disidere potest, in locum aliquem propinquiorem, puta in decimum vel undecimum, &c. Leonis gradum, reducendus est.

Postremo, ne in hac triumphali pompa tres superiores planetæ, Saturnus, Iupiter, Mars, longius à Sole euagantes, toto cælo errarent, meminisse oportet, Saturnum non ultra centum & decem gradibus à Sole distare posse. Reliqui igitur duo, licet belli necessitate exigente, longius interdum excurrere soleant, tamen in triumphali ordinatione intra Saturni metas constringuntur.

Postremo (licet superfluum videatur id admonere) si qui ex victoris copiis desiderantur, eorum locum in triumphali apparatu vacuum esse necesse est: cæteros, qui supersunt, ordinem, quem exposuimus, servare oportet.

Caput

potest maxima conspicuus. Hos aliquo intervallo sequatur Augustus ipse in sua exaltatione, vel saltem in domicilio, tanquam in sella curuli sedens. Huic comes adiungatur Augusta, (si non prius in hostium manus perucnerit) & ipsa suam exaltationem, vel domicilium suum, tanquam currum triumphalem, occupans. Mercurius à tergo Imperatoris vestigia observabit, sic tamen, ut aliqua dignitate emineat. Venus, quasi pedissequa Lunæ, post eam incedet, sic etiam ut incessu dignitatem præ se ferat. Quod si Luna, violentas hostium manus non effugerit, quin præda exposita in eorum potestatem venerit: Venus officium illud quod alioqui Augustæ debebat, ipsi Imperatori præstabit, & medium locum inter Solem & Mercurium occupabit. Facilius ista intelligentur, si omnis hæc pompa, exemplo proposito, quasi ante oculos ducatur.

Sit Augustus in decimo nono Arietis, qui locus est fastigium exaltationis eius: Saturnus primus eorum qui præcedit, in primo geminorum gradu, suo domicilio: proximus Iupiter, in vicesimo secundo tauri, ubi duabus dignitatibus claret: proxime vero ante Solem Mars in trigesima Arietis parte, quo signo, tanquam proprio domicilio, gaudet. Solem à tergo sequatur Mercurius in decimo tertio gradu: ubi gemina dignitate conspicuus fulget. Luna tauri, tertium thronum exaltationis suæ: Venus primum aut secundum eiusdem signi gradum occupet, nam in illis duplici ornamento fruitur. Absente vero Lunâ, Venerem aliquo ex locis, qui sunt inter decimum nonum & decimum tertium, hoc est, inter Solem & Mercurium, contentam esse decet. In quibus licet nulla dignitatis specie sit illustris, non tamen id ferre debet impatienter, quum dominæ suæ calamitatem, quæ ab hostibus intercepta fuit, se lugere aliquo signo, quasi detractis ornamentis, exprimere debeat. Vel si virilis animus in formidino sydere, sua etiam dignitatis præmia in hoc triumphali ornatu ac splendore efflagitat, necesse est ut aliquid de maxima & clarissima Solis dignitate detrahamus, ut Veneri suus honos tribuatur. Solem igitur ob coniugis suæ infelicem casum, quasi moestitiam aliquam in hac dignitatis suæ diminutione præ se ferentem, ad vicesimum quartum Arietis gradum transferemus. Hac ratione sua Veneri

Veneri in vicesimo primo gradu dignitas constabit. Si verò currum triumphalem Solis in domicilio eius statuere velimus, collocabimus eum in aliquo Leonis gradu, exempli gratia, in vicesimo quinto. Præcedat Solem dux belli Mauors in tricesimo eiusdem signi. Martem antecedit Iupiter in vicesimo Virginis. Iovem Saturnus in eiusdem signi tricesimo. Sequatur Imperatorem Mercurius in decimo nono Leonis. Lunam verò in vicesimo quinto Cancræ, Venus pedissequa in decimo tertio Cancræ subsequatur. Si verò dominam amiserit prius Venus, quàm ad optatam triumphali celebritatem peruenit, collocabitur moesta inter Mercurium & Solem, sine ulla dignitatis ostentatione: vel si hoc non placeat, retrahendus est Mercurius ad vicesimum Cancræ, ut Veneri locus sit dignitate aliqua notabilis in septimo vel octavo, &c. Leonis gradu. Deinde & ipse Sol, quoniam à Mercurio non ultra septem & viginti integros gradus disidere potest, in locum aliquem propinquiorem, puta in decimum vel undecimum, &c. Leonis gradum, reducendus est.

Postremo, ne in hac triumphali pompa tres superiores planetæ, Saturnus, Iupiter, Mars, longius à Sole euagantes, toto celo errarent, meminisse oportet, Saturnum non ultra centum & decem gradibus à Sole distare posse. Reliqui igitur duo, licet belli necessitate exigente, longius interdum excurrere soleant, tamen in triumphali ordinatione intra Saturni metas constringuntur.

Postremo (licet superfluum videatur id admonere) si qui ex victoris copiis desiderantur, eorum locum in triumphali apparatu vacuum esse necesse est: cæteros, qui supersunt, ordinem, quem exposuimus, seruare oportet.

Caput

*Caput novum, tabulas dignitatum  
continens.*



Estat adhuc vt dignitatum tabulas adijciamus : quas licet ex Astrologia illa, quam Iudiciariam vocant, cuilibet petere promptum sit, ne quid tamen ad huius ludi cognitionem necessarium extra hunc libellum quærere sit opus, non pigebit eas hic adscribere, eo præsertim ordine quo ad hoc institutum accommodantur.

Domus igitur Solis est Leo.

Exaltatio est Aries.

Triplicitas Aries, Leo, Sagittarius.

Terminos habet nullos.

Facies in Ariete decem medios gradus, hoc est, à decimo vsque ad vigesimum.

in Geminis decem vltimos, à vicesimo ad tricesimum.

in Virgine primam decada, id est, decem primos gradus.

in Scorpio secundam decada, ab vndecimo ad vicesimū.

in Capricorno tertiam decada, ab vicesimo ad tricesimū.

Lunæ domus est Cancer.

Exaltatio est taurus.

Triplicitas taurus, Virgo, Capricornus.

Terminos habet nullos.

Facies secunda decas tauri.

Cancris tertia decas.

Libræ prima decas.

Sagittarij secunda decas.

Aquarij tertia decas.

Saturni

Saturni

Domus sunt Capricornus, Aquarius.

Exaltatio Libra.

Triplicitas Gemini, Libra, Aquarius.

Termini in Ariete quinque vltimi gradus.

in tauro etiam quinque, 23. 24. 25. 26. 27.

in Geminis sex vltimi gradus.

in Cancro quatuor vltimi gradus.

in Leone septem gradus, 12. 13. 14. 15. 16. 17. 18.

in Virgine duo vltimi gradus.

in Libra sex primi gradus.

in Scorpio sex vltimi gradus.

in Sagittario quinque, 22. 23. 24. 25. 26.

in Capricorno quatuor, 23. 24. 25. 26.

in Aquario quinque vltimi.

in Piscibus duo vltimi.

Facies Saturni,

Tauri tertia decas.

Leonis prima decas.

Libræ secunda decas.

Sagittarij tertia decas.

Piscium prima decas.

Iouis

Domus sunt Sagittarius & Pisces.

Exaltatio Cancer.

Triplicitas Aries, Leo, Sagittarius.

Termini in Ariete sex primi gradus.

in tauro octo gradus, 15. 16. 17. 18. 19. 20. 21. 22.

in Geminis sex gradus, 7. 8. 9. 10. 11. 12.

in Cancro septem, 20. 21. 22. 23. 24. 25. 26.

in Leone sex primi gradus.

in Virgine quatuor gradus, 18. 19. 20. 21.

in Libra septem gradus, 15. 16. 17. 18. 19. 20. 21.

in Scorpio quinque gradus, 20. 21. 22. 23. 24.

F .j.

in Sa-

*Oryanomachia, sine.*

in Sagittario duodecim primi gradus.  
in Capricorno septem gradus, 8, 9, 10, 11,  
12, 13, 14.  
in aquario septem gradus, 14, 15, 16, 17, 18, 19, 20.  
in Piscibus quatuor gradus, 13, 14, 15, 16.

*Facies,*

in Geminis prima decas.  
in Leone secunda decas.  
in Libra tertia decas.  
in Capricorno prima decas.  
in Piscibus secunda decas.

*Martis*

Domus sunt, Aries, & Scorpio.  
Exaltatio, Capricornus.  
Triplicitas, Cancer, Scorpio, Pisces.  
Termini in Ariete quinque gradus, 21. 22. 23.  
24. 25.  
in tauro tres vltimi gradus.  
in Geminis septem gradus, 18. 19. 20. 21.  
22. 23. 24.  
in Cancro septem primi gradus.  
in Leone sex vltimi gradus.  
in virgine septem gradus, 22. 23. 24. 25. 26. 27. 28.  
in Libra duo vltimi gradus.  
in Scorpio septem primi gradus.  
in Sagittario quatuor vltimi gradus.  
in Capricorno quatuor vltimi gradus.  
in Aquario quinque gradus, 21. 22. 23. 24. 25.  
in Piscibus nouem gradus, 20. 21. 22. 23. 24.  
25. 26. 27. 28.

*Facies*

Arietis prima decas.  
Geminorum secunda decas.  
Leonis tertia decas.

Scor-

*Astrologorum ludus.*

Scorpionis prima decas.  
Capricorni secunda decas.  
Piscium tertia decas.

*Veneris*

Domus sunt taurus, & libra.  
Exaltatio, Pisces.  
Triplicitas, taurus, Virgo, Capricornus.  
Termini in Ariete sex gradus, 7. 8. 9. 10. 11. 12.  
in tauro primi octo gradus.  
in Geminis quinque gradus, 13. 14. 15. 16. 17.  
in Cancro sex gradus, 8. 9. 10. 11. 12. 13.  
in Leone quinque gradus, 7. 8. 9. 10. 11.  
in Virgine decem gradus, 8. 9. 10. 11. 12. 13.  
14. 15. 16. 17.  
in Libra septē gradus, 2. 23. 24. 25. 26. 27. 28.  
in Scorpio quatuor, 8. 9. 10. 11.  
in Sagittario quinque, 13. 14. 15. 16. 17.  
in Capricorno octo, 15. 16. 17. 18. 19. 20. 21. 22.  
in Aquario sex gradus, 8. 9. 10. 11. 12. 13.  
in Piscibus duodecim primi gradus.

*Facies*

in tauro tertia decas.  
in Cancro prima decas.  
in Virgine secunda decas.  
in Scorpio tertia decas.  
in aquario prima decas.

*Mercurij*

Domus, Gemini, & Virgo.  
Exaltatio, Virgo.  
Triplicitas, Gemini, Libra, Aquarius.

*Termini*

in Ariete sunt octo gradus, 13. 14. 15. 16. 17. 18. 19. 20.  
in tauro sex gradus, 9. 10. 11. 12. 13. 14.  
in Geminis sex primi gradus.

F .ij.

in Can-

*Ouaranomachia, siue*

in Cancro sex gradus, 14, 15, 16, 17, 18, 19.  
in Leone sex gradus, 19, 20, 21, 22, 23, 24.  
in Virgine septem primi gradus.  
in Libra octo gradus, 7, 8, 9, 10, 11, 12, 13, 14.  
in Scorpio octo gradus, 12, 13, 14, 15, 16, 17, 18, 19.  
in Sagittario quatuor gradus, 18, 19, 20, 21.  
in Capricorno septem primi gradus.  
in aquario septem primi gradus.  
in Piscibus quatuor gradus, 13, 14, 15, 16.  
Facies.  
in ariete prima decas.  
in Cancro secunda decas.  
in Virgine tertia decas.  
in Sagittario prima decas.  
in aquario secunda decas.

**E**T iam hucusque complexi sumus præcipua Planetarum ornamenta, quæ Dignitates essentielles nuncupantur: sequuntur nunc auxiliares copiar, siue subsidia.

*Planetarum Gaudia.*

Saturni in aquario.  
Iouis in Sagittario.  
Martis in Scorpio.  
Veneris in tauro.  
Mercurij in Virgine.

*Gradus Exaltationis*

Solis, decimus nonus arietis.  
Lunæ, tertius tauri.  
Saturni, vicesimus primus Libræ.  
Iouis, decimus quintus Cancr.

F. iij.

Mar-

*Astrologorum ludus.*

Martis, vicesimus octauus Capricorni.  
Veneris, vicesimus septimus Piscium.  
Mercurij, decimus quintus Virginis.

*Gradus augentes Fortunam,*

Arietis, decimus nonus.  
Tauri, tertius, decimus quintus, vicesimus septimus.  
Geminorum, vndecimus.  
Cancr, 1, 2, 3, 4, 15.  
Leonis, 2, 5, 7, 19.  
Virginis, 3, 14, 20.  
Libræ, 3, 5, 21.  
Scorpij, 7, 18, 20.  
Sagittarij, 12, 20.  
Capricorni, 12, 13, 14, 20.  
Aquarij, 7, 16, 17, 20.  
Piscium, decimus tertius, vicesimus.

*Gradus lucidi*

in Ariete, 4, 5, 6, 7, 8, 17, 18, 19, 20, 25, 26,  
27, 28, 29.  
in Tauro, 4, 5, 6, 7, 13, 14, 15, 21, 22, 23,  
24, 25, 26, 27, 28.  
in Geminis, 1, 2, 3, 4, 8, 9, 10, 11, 12, 17, 18,  
19, 20, 21, 22.  
in Cancro, 1, 2, 3, 4, 5, 6, 7, 8, 9, 10, 11, 12,  
21, 22, 23, 24, 25, 26, 27, 28.  
in Leone, 26, 27, 28, 29, 30.  
in Virgine, 6, 7, 8, 11, 12, 13, 14, 15, 16.  
in Libra, 1, 2, 3, 4, 5, 11, 12, 13, 14, 15, 16,  
17, 18, 22, 23, 24, 25, 26, 27.  
in Scorpio, 4, 5, 6, 7, 8, 15, 16, 17, 18, 19, 20.  
in Sagittario, 1, 2, 3, 4, 5, 6, 7, 8, 9, 13, 14, 15,  
16, 17, 18, 19, 24, 25, 26, 27, 28, 29, 30.  
in Capricorno, 8, 9, 10, 16, 17, 18, 19.

F. iij. in Aqua-

*Ouranomachia, sine*

in aquario, 5. 6. 7. 8. 9. 14. 15. 16. 17. 18. 19.  
20. 21. 26. 27. 28. 29. 30.  
in Piscibus, 7. 8. 9. 10. 11. 12. 19. 20. 21. 22.  
26. 27. 28.

*Loca indifferentia sunt,*

*Gradus fumosi*

in Cancro, 19. 20.  
in Leone, 11. 12. 13. 14. 15. 16. 17. 18. 19. 20.  
in Virgine, 17. 18. 19. 20. 21. 22.  
in Scorpio, 21. 22.  
in Sagittario, 20. 21. 22. 23.  
in Capricorno, 11. 12. 13. 14. 15.  
in Aquario, 1. 2. 3. 4.

*Gradus masculini & foeminini*

in Ariete masculini, 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 10.  
11. 12. 13. 14. 15. 23. 24. 25. 26. 27.  
28. 29. 30.  
foeminini, 9. 16. 17. 18. 19. 20. 21. 22.  
in tauro masc. 6. 7. 8. 9. 10. 11. 18. 19. 20. 21. 25.  
26. 27. 28. 29. 30.  
foemini, 1. 2. 3. 4. 5. 12. 13. 14. 15. 16. 17.  
22. 23. 24.  
in Geminis masculini, 6. 7. 8. 9. 10. 11. 12. 13.  
14. 15. 16. 23. 24. 25. 26.  
foemini, 1. 2. 3. 4. 5. 17. 18. 19. 20. 21. 22.  
27. 28. 29. 30.  
in Cancro masc. 1. 2. 9. 10. 13. 14. 15. 16. 17.  
18. 19. 20. 21. 22. 23. 28. 29. 30.  
foeminini, 3. 4. 5. 6. 7. 8. 11. 12. 24. 25. 26. 27.  
in Leone masc. 1. 2. 3. 4. 5. 9. 10. 11. 12. 13. 14.  
15. 24. 25. 26. 27. 28. 29. 30.  
foeminini, 6. 7. 8. 16. 17. 18. 19. 20. 21. 22. 23.  
in Vir-

*Astrologorum ludus.*

in Virgine masc. 9. 10. 11. 12. 21. 22. 23. 24.  
25. 26. 27. 28. 29. 30.  
foeminiai, 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 13. 14. 15. 16.  
17. 18. 19. 20.  
in Libra masc. 1. 2. 3. 4. 5. 16. 17. 18. 19. 20.  
28. 29. 30.  
foeminini, 6. 7. 8. 9. 10. 11. 12. 13. 14. 15. 21.  
22. 23. 24. 25. 26. 27.  
in Scorpio masculini, 1. 2. 3. 4. 15. 16. 17. 26.  
27. 28. 29. 30.  
foeminini, 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11. 12. 13. 14. 18.  
19. 20. 21. 22. 23. 24. 25.  
in Sagittario masc. 1. 2. 6. 7. 8. 9. 10. 11. 12.  
25. 26. 27. 28. 29. 30.  
foeminini, 3. 4. 5. 13. 14. 15. 16. 17. 18. 19.  
20. 21. 22. 23. 24.  
in Capricorno masc. 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10.  
11. 20. 21. 22. 23. 24. 25. 26. 27. 28. 29. 30.  
foeminini, 12. 13. 14. 15. 16. 17. 18. 19.  
in Aquario masc. 1. 2. 3. 4. 5. 16. 17. 18. 19.  
20. 21. 26. 27.  
foeminini, 6. 7. 8. 9. 10. 11. 12. 13. 14. 15. 22.  
23. 24. 25. 28. 29. 30.  
in Piscibus mascul. 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10.  
21. 22. 23. 29. 30.  
foeminini, 11. 12. 13. 14. 15. 16. 17. 18. 19. 20.  
24. 25. 26. 27. 28.

*Sequuntur incommoda planetarum,*

Casus Saturni, in vicesimo primo Arietis.  
Iouis, in decimo quinto Capricorni.  
Martis, in vicesimo octavo Cancri.  
Solis, in decimo nono Librae.  
Veneris, in vicesimo quarto Virginis.  
Mercurij, in decimo quinto Piscium.  
Lunae, in tertio Scorpionis.

*Gradus*

**Gradus tenebrofi,**

in Ariete, 1. 2. 3. 9. 10. 11. 12. 13. 14. 15. 16.  
 in tauro, 1. 2. 3. 29. 30.  
 in Geminis, 5. 6. 7. 23. 24. 25. 26. 27.  
 in Cancro, 13. 14.  
 in Leone, 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10.  
 in Virgine, 1. 2. 3. 4. 5. 28. 29. 30.  
 in Libra, 6. 7. 8. 9. 10. 19. 20. 21.  
 in Scorpio, 1. 2. 3. 28. 29. 30.  
 in Sagittario, 10. 11. 12.  
 in Capricorno, 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 20. 21. 22. 26.  
 27. 28. 29. 30.  
 in Aquario, 10. 11. 12. 13.  
 in Piscibus, 1. 2. 3. 4. 5. 6. 13. 14. 15. 16. 17. 18. 29. 30.  
**Gradus mutilationis sunt,**  
 in tauro, 6. 7. 8. 9. 10.  
 in Cancro, 9. 10. 11. 12. 14. 15.  
 in Leone, 18. 27. 28.  
 in Scorpio, 19. 29.  
 in Sagittario, 1. 7. 8. 18. 19.  
 in Capricorno, 26. 27. 28. 29.  
 in Aquario, 18. 19.  
**Gradus puteales,**  
 in Ariete, 6. 11. 16. 23. 29.  
 in tauro, 5. 12. 14. 24. 25.  
 in Geminis, 2. 12. 17. 26. 30.  
 in Cancro, 12. 17. 23. 26. 30.  
 in Leone, 6. 13. 15. 22. 23. 28.  
 in Virgine, 8. 13. 16. 21. 25.  
 in Libra, 1. 7. 20. 30.  
 in Scorpio, 9. 10. 22. 23. 27.  
 in Sagittario, 7. 12. 15. 24. 27. 30.  
 in Capricorno, 2. 7. 17. 22. 24. 28.  
 in aquario, 1. 12. 17. 24. 29.  
 in Piscibus, 4. 9. 24. 27. 28.

*Descriptio*

*Descriptio Abaci.*



Oceamus nunc modum Abaci parandi, vt sine labore ac tædio, quas habeat quilibet planetarum in quocunque Zodiaci gradu dignitates, quæ etiam adiumenta vel incommoda primo aspectu diiudicemus. Dignitates appellantur, vt supra narrauimus, Domus, Exaltatio, Triplicitas, Terminus, Facies, Auxilia & incommoda vocantur: Gaudium, gradus augentes Fortunam, gradus exaltationis, Lucidi, Fumosi, Tenebrofi, Masculini, Fœminini Gradus, Casus planetarum, Gradus mutilationis, gradus puteales: Ex his Domus, Exaltatio, triplicitas, Gaudium, integrum signum occupât. Notabis igitur in loco idoneo, hoc est, in margine Abaci, initium cuiusque signi, cuius planetæ sit domus, cuius exaltatio, ad cuius triplicitatem spectat, cuius item sit Gaudium, ad hunc modum:

|                    |                    |                    |
|--------------------|--------------------|--------------------|
| D♂ <sup>♂</sup> E⊙ | D♀ <sup>♀</sup> E☾ | D♂ <sup>♂</sup> E☿ |
| ♂ <sup>♂</sup> T⊙  | ♀ <sup>♀</sup> T♀  | ♂ <sup>♂</sup> T♂  |
|                    | G♀                 |                    |

Hoc est, signum Arietis est domus Martis, Exaltatio Solis, triplicitas Iouis & Solis. Sic Taurus est Domus Veneris, exaltatio Lunæ, triplicitas Lunæ & Veneris, Gaudium Veneris. Similiter Geminorum signum domus est Mercurij, triplicitas verò Saturni & Mercurij. Eadem ratio in reliquis signis obseruanda est. Ex his autem que restant, totum Zodiacum implent, sed non integra signa, gradus Lucidi, Fumosi, & Tenebrofi: item gradus Masculini & Fœminini.

G.j.


Quare



Quare ne nimis multis notulis vnumquemque gradum oneremus, præstat hæc omnia coloribus distinguere.

Pinget igitur omnes gradus lucidos albos, fumosos caesios, tenebrosos nigros vel fuscus. Gradus masculinos diuides per medium lineam rubeam, foemininos flaua. Ita color sexum notabit, sectio dimidium gradus, qui est incessus quorundam planetarum. Cæterum, si cui magis arrident alij colores, poterit hos pro arbitrio mutare, modo quinque diuersos substituatur. Reliqua, situ & notis discernenda putamus ad hunc modum: In medio gradus, supra lineam sexus, pingatur character planetæ cuius est facies, pro facie denotanda. In angulo dextro supra lineam, collocetur figura planetæ cuius est terminus ille gradus, pro terminis nota. In sinistro trianguli figuram pro nota gradus augmentis fortunam: inter hos summo loco pro gradu exaltationis, characterem planetæ eo gradu exaltati depinges. In angulo dextro sub linea discernente sexum, pro gradu mutilationis, quadrangulum pones: in sinistro, pro gradu puteali, figuram oppositionis, in medio, loco infimo, gradum casus planetæ, quoties occurrit per eiusdem planetæ figuram describes, hoc modo:

Gradus 21 arietis.



Agnoscis igitur ex hac pictura decimum nonum Arietis gradum esse faciem Solis, terminum Mercurij gradum exaltationis Solis, & gradum augmentem fortunam. Similiter eiusdem signi vicesimam primam partem esse Veneris faciem, Mercurij terminum Saturni casum. Sic & septimum Sagittarij gradum cernis esse Iouis terminum, Mercurij faciem gradum mutilationis & putealem. Petas igitur ex tabulis præcedentibus, quid cuique gradui conueniat, & vnumquemque suis notis & coloribus exorna, & sine tædio *Ouranomachiam* exercebis.

FINIS.

*Explicatio Abaci.*



E quid desyderares quod à nobis præstari potuit (amice Lector) totam Abaci formam typis exprimi curauimus: in qua præter colorum varietatem, nihil deest ad absolutam eius descriptionem. Quamuis etiam & colores adijcere non recusarem, nisi id vniuscuiusque arbitrio relinquere, præstantius esse crederemus. Quin & hoc etiam à pingendis coloribus nos detinuit, quod viam inuenimus, qua sine colorum diuersitate (si cui placet) vsus Abaci, vt est formis excussi, per se constare possit: nam pro coloribus puncta quædam & lineolas substituimus. Nempe pro linea masculinum gradus sexum denotante, plurima punctula: pro foeminino autem, quatuor tantum puncta, sed maiora: Pro Tenebroso gradus signo, duas lineolas, siue notulas, à dextra gradus, alteram supra, alteram infra lineam sexus. Vbi obseruandum est, quod gradus omnes, qui nec lucidi sunt, nec fumosi, non sine ratione pro tenebrosis in hoc ludo computamus. Pro fumoso gradu, vnicam notulam supra lineam sexus collocauimus. Gradum luminosum vacuum reliquimus.

Reliqua omnia talia sunt, quæ prius à nobis sunt exposita.

FINIS.